





1770, 37.

9

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI

AN

DONATIO

POSSIT REVOCARI A FILIIS HE-  
REDIBVS OB SVPERVENIEN-  
TIAM LIBERORVM

122  
2

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE VIII. SEPTEMBR. ANNO CIOIOCCLXX

DEFENDET

CAROLVS GOTTLOB SCHMORL




BOERLENS. MISNIC.

LIPSIAE

LITERIS RVMPFIIS.



155 6





AN  
DONATIO  
REVOCARI POSSIT A FILIIS HEREDIBVS  
OB SVPERVENIENTIAM  
LIBERORVM.



§. I.

Diu desipuit forum in applicatione Rescripti in *L. 8. C. de reuocat. donat.* quippe permittit, vt, quae ex donationis titulo ab eo, qui rerum suarum liberriam habebat dispositionem, in alterum translata venerant, quaeque perfecto iure alter adquisuerat, si postea contingeret, vt celebratis iustis nuptiis liberos procrearet, posset reuocare atque ius perfectum alteri eripere. Non disputabimus contra eos, qui rescripta dari in Codice

A 2

dice



dice ignorant, quique omnia, quae in eo leguntur, edicta habent. Dabinus interim L. 8. *cit vim* et obligationem habere generalem; tamen ex ipsa lege nunquam probabimus, de omnibus donatoribus in genere legem loqui, sed tantum de Patronis, qui libertis donarunt, et sic non de omnibus iis, quibus quid donatum est, sed de libertis tantum, quibus liberalitas a Patrono obrigerat. Possêt exinde facillime consequi, legis huius ob id, quod apud nos in foro ignorentur et liberti et Patroni, plane usum esse non posse, si saniora principia in applicandis legibus sequi velimus. Multa sane praeter alios multos iam in eam rem dixit BACHOVIVS ad *Treutl. Vol. II. Diss. XIX. th. VII. Lit. E. et Exc.* ZOLLERVS *diff. An donatio inter viuos legitime facta ob superuen. liberos reuocari possit?*

§. II.

Quidquid vero sit ex saniori legum interpretatione veritati atque iustitiae conueniens, tamen negari nequit, communem prope esse Pragmaticorum opinionem, posse videlicet donationem inter viuos legitime factam reuocari, si post illam perfectam a donatore liberi generentur. Coniicio hoc ex BERGERO in *Oeconom. Jur. L. II. Tit. §. 29. n. 5. 6.* EXWERNHERO in *Supplem. ad P. X. Olf. 371.* ex STRYCKIO in *Vsu Modern. ad Tit. de donat. §. XVII.* Sunt tamen, qui quodammodo hanc fori opinionem limitibus circumscribunt atque tunc tantum reuocari posse arbitrantur, si donatio vel omnia bona, vel maximam honorum partem in donarium transferat. Ita sane apud TIRAQUELLVM *ad L. 8. C. de reuoc. donat.* et BOEHMERVM in *Doctr. Pand. Lib. XXXIX.*

XXXIX. Tit. V. §. 23. Quae sententia, si ex fori rationibus ponderetur, ferenda quidem esset, sed tunc cauendum, ne prope ea sit, quae alias quaerela inofficiosae sit donationis, a qua tamen differre debet.

§. III.

Causam vero, cur forum hodie donatori concedat reuocandi licentiam donationem antea factam, hanc effecerunt: quod donatio ab eo facta, qui liberos non habet, videtur in se continere tacitam conditionem, si liberi ipsi nati non fuerint, de quibus si cogitasset, verosimiliter bona sua vel partem eorum non donasset a. L. 102. ff. de Condit et demonstr. et quod nemo praesumatur successiones alienas propriis auertere. V. BACHOVIVM, cit. loc. Sed quis vnquam, nisi omnem deposuerit iusti et veri sensum, sibi persuadeat, licere posse Iurisconsultis ex fictis adeo conditionibus, de quibus nec lex, nec donatoris voluntas quidquam statuit, donatario ius suum perfectum in res donatas, quod et licite et iuste acquisiuit, eripere.

§. IV.

At vero, si semel interim demus, posse reuocari donationem ob liberos postea prognatos, quae potest, a quonam haec actio reuocatoria seu condictio ex L. 8. C. de reuoc. donat. possit debeatque institui, vtrum a donatore, an ab eius liberis heredibus. Quod ab ipso donatore rescindi possit atque reuocari donatio, non est, quod dicamus. Ita enim in ipsa lege Patrono, qui donauerat, conceditur. At, an liberi ipsi superuenientes,

A 3

fi



si a donatore reuocatio facta non sit, heredes postea adhuc possint donationem factam reuocare, dubium mihi videtur, cum ex ipsa lege nihil appareat, quod ad reuocandam donationem iis prodesse possit. Videamus ergo, posita interim fori sententia de legis applicatione, quid analogiae iuris in hac specie conueniat.

§. V.

Verum quidem est, hanc reuocandi causam non posse comparari cum ea, quae ob donatarii ingratitude[m] permittit donationem reuocari. Haec enim exinde proueniens actio reuocatoria, cum vindictam speret, nunquam ab heredibus ingratitude laesi donatoris poterit institui. p. L. f. C. de reuoc. donat. In hac reuocationis specie nulla vindicta, sed sola rei donatae persecutio ex legis permissione proueniens. Cum itaque ipsemet donator persequendi ius reuocando donationem habuerit, nihil sane videtur obstare, quominus ipsis heredibus liberis, qui post donationem geniti et nati sint, idem reuocandi ius tribuamus, neque id lite contestata demum fieri posse adfirmemus, vt in priori actione illa reuocatoria, sed etiam tunc, si ab ipso donatore nec instituta, nec praeparata quidem actio sit. Sed ita saltem videtur.

§. VI.

Quare re accuratius perspecta atque legibus inter se coniunctis et comparatis, facilius in eam venio opinionem, qua heredibus liberis post donationem perfectam progenitis reuocandi ius negem atque tantum etiam ex fori rationibus soli donatori eandem reuocandi licentiam competere posse adfirmem. Constat enim, patrem tantum



tum ex legibus obligatum esse, ut liberis suis legitimam ex hereditate relinquat, neque ad plus teneri. Distinguo itaque, si tanta sit donatio a patre facta, ut, si tempore donationis liberos iam habuisset, illi in legitima laesi fuerint, et quamuis stricte tunc inofficiosa dici non potuerit, cum pater donando, quod liberos non haberet, contra officium non ageret, tamen ex aequitate largiar, posse vtiliter reuocare donationem superuenientes liberos ex capite donationis inofficiosae, non vero ex eo solo, quod supernati sint liberi, sed quia exsortes facti fuerint illa donatione omnium paternorum bonorum, ut ne legitimam quidem ex iis, quae habuerat, bonis consecuti sint. Concludimus itaque a ratione quartae legitimae atque inofficiosae donationis ad nostram speciem: neque obstat, quod, cum pater donauerit, nec tunc liberi progeniti, illis in bonis paternis nullum ius competierit, ut competit iis quibus existentibus inofficiosa donatione bona pater eripit. Ita enim et posthumus sua in testamento ab intestato debita portio relinquenda est, nisi velit pater rumpi testamentum eius agnatione, quamuis nec posthumus, cum testaretur et moreretur pater, non dum existenti ius competere posset.

§. VII.

Sed sicut hanc speciem magis ex aequitate, et nimia liberalitate patris detrimentum sentiant postea nati liberi legitimi, de his enim in hac quaestione sermo est, decidimus; ita, si praeter legitimam bona inter vivos donauerit pater, analogia legum dubitari nos non finit, si pater donator non reuocauerit, a liberis superuenientibus ex sola superuenientia donationem reuocari non posse. Sicuti enim pater ultra legitimam liberis ex suis


suis bonis nihil debet, si partem bonorum inter viuos do-  
 nauerit, ita vt liberi in legitima laesi non sint, posset ipse  
 quidem reuocare donationem ex sententia fori, si vellet  
 plus habituros liberos postea natos; (permissiua enim *L.*  
*§. C. de reuoc. donat.* non praeceptiua lex est) sequi-  
 tur, si ipse pater non reuocauerit donationem, cum po-  
 tuisset, eundem voluisse, nequid amplius, praeterquam  
 quae non donauerat, sed sibi retinuerat bona, quae saltem  
 legitimam efficiunt sua quantitate, liberi habeant postea  
 geniti. Si ergo pater, qui ad relinquendam legitimam  
 obligatus tantum erat, voluerit, ne quid amplius liberi  
 habeant, quo iure ex eo, quod nati postea sint, quam  
 pater donauerat, reuocent donationem? cum ex eius vo-  
 luntate ea acquirant, quae legitimam excedunt. Dein  
 donatio pacto inter viuos perficitur. Si ergo non reuo-  
 cando donationem ob superuenientes liberos pater pa-  
 ctum quasi confirmauerit, liberi vero postea nati tanquam  
 heredes ex conuentionibus a patre initis teneantur; sequi-  
 tur, liberos postea a genitos pacto, quo heredes teneban-  
 tur, suapte recedere non posse, neque hinc donationem  
 reuocare. Tandem cum non ipso iure nulla sit dona-  
 tio, sed reuocanda ex *L. §. cit.* ipsum vero rescriptum tan-  
 tum d: Patrono tanquam testatore loquatur eique ius sin-  
 gulare seu priuilegium concedat, quod strictam tantum  
 admittat interpretationem, et tanquam personale, perso-  
 nae cui concessum sit, inhaereat, nec propterea in here-  
 des transeat; concludo ex hac *L. §.* reuocari non posse do-  
 nationem a supernatis liberis heredibus. Patet ex his, si  
 ponamus applicationem hodie ob superuenientes liberos  
 a donatore donationem reuocari posse, tamen non idem  
 licere postea natis liberis heredibus.

T. A. N. T. V. M.

VD18

ULB Halle 3  
007 208 200





1770, 37

9

P 221

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI

AN

DONATIO  
POSSIT REVOCARI A FILIIS HE-  
REDIBVS OB SVPERVENIEN-  
TIAM LIBERORVM

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISVVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE VIII. SEPTEMBR. ANNO MDCCCLXX

DEFENDET

CAROLVS GOTTLOB SCHMORL

BOERLENS. MISNIC.



LIPSIAE

LITERIS RVMPFIIIS.

